This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.


About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

LT
1
835

Digitized by Google

Lt 1.835.
Bd. 1874.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Kappel, Hermann.

DE

EMENDATIONIBUS TACITEI UT FERTUR DIALOGI DE ORATORIBUS A GEORGIO ANDRESENIO EDITIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

SCRIPSIT

HERMANNUS KAPPEL

POMERANUS.

Berolini

1873.

Digitized by Google

Lt 1. 835

1873, Nov. 4.
Gift of
the University
of Rostock
Germany.

Digitized by Google

PARENTIBUS
OPTIMIS DILECTISSIMIS.

Digitized by Google

De emendationibus Tacitei ut fertur dialogi de oratoribus a Georgio Andresenio (in act. societ. philolog. Lipsiens. tom I. fasc. I. Pg. 103—183) editis.

Dialogum de oratoribus omnes editores superiores usque ad Beatum Rhenanum, qui primus de auctore dubitavit, Taciti esse arbitrati sunt. Postquam vero Lipsius scriptum declaravit optimum esse, stilo, inventione, judicio, ipsum tamen scriptorem incertum esse neminemque eum credere posse Tacitum fuisse, quoniam stilus, non fallax illud quidem hoc in genere argumentum, valde repugnet, quippe qui nec aetate nec argumento tantopere commutari potuerit, ut a Taciteo prosus recederet: multi hunc librum a Tacito abjudicare conati sunt, quorum alii M. Fabium Quintilianum, allii C. Plinium Secundum, alii C. Suetonium Tranquillum, alii incertum quendam auctorem esse censuerunt. Quum autem codices manuscripti nomen Taciti exhibeant, quorum consensu hujusmodi quaestio propemodum conficiatur, quumque aetas scriptionis in Tacitum optime quadret, argumentum vero a stili convenientia repetitum anceps sit et lubricum, quia dicendi genus aetate mutetur atque aliud requiratur in historia, aliud in dialogo, quum denique a Taciti studiis haud aliena videatur quaestio de causis corruptae eloqnentiae, teste quidem Plinio epp. I, 20: plurimi philologorum recentiorum dialogum de oratoribus

Digitized by Google

tribuunt Tacito. Quorum in numero non est Andresenius, qui emandationes Taciti qui fertur dialogi de oratoribus nuper scripsit. Verumtamen non de auctore hujusce dialogi nobis disputandum, sed istae Andresenii emendationes examinandae et dijudicandae sunt. Quod ut quam accuratissime fiat, idem ordo, quem auctor emendationum secutus est, a nobis servabitur.

Medio cap. 6, ubi legitur: „quod gaudium consurgendi assistendique inter tacentes et in unum conversos! coire populum et circumfundi coronam et accipere affectum, quemcunque orator induerit,“ quem locum Nastius sic vertit: „Und dann die Freude, die ſeinen Buſen ſchwellt, wenn er mitten unter einer ſchweigenden Menge, die nichts hört und ſieht, als ihn, auftritt und zu reden beginnet; wenn das Volk in dichten Kreiſen ſich herzudränget, um ſeinen Redner zu hören und jede Stimmung, in die er es verſetzen will, anzunehmen“ offendit Andresenius in vocabulo ***induerit***, quippe nesciens, utrum ***sibi*** an ***auditoribus*** mente concipiat. Praeterea posterior explicatio ei ineptam videtur tautologiam afferre, prior ipsa rei natura refelli, quod nunquam orator, si quid in animis auditorum efficere velit, ideo sibi eundem induat affectum, non enim affectu, sed oratione dicentis animos audientium movendos esse. Sed motibus oratoris auditores incendi debere testimonio est sententia Ciceronis de oratore II, 145, 189: „Neque fieri potest, ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimescat aliquid, ut ad fletum misericordiamque deducatur, nisi omnes ii motus, quos orator adhibere volet judici, in ipso oratore impressi esse atque inusti videbuntur. Quodsi fictus aliquis dolor suscipiendus esset et si in ejusmodi genere orationis nihil esset, nisi falsum atque imitatione simulatum, major ars aliqua forsitan esset requirenda. Nunc ego, quid tibi, Crasse, quid ceteris accidat, nescio; de me autem caussa nulla est, cur apud homines prudentissimos atque

Digitized by Google

amicissimos mentiar. Non, mehercule, unquam apud judices, aut dolorem aut misericordiam, aut invidiam, aut odium excitare dicendo volui, quin ipse in commovendis judicibus iis ipsis sensibus, ad quos illos adducere vellem, permoverer. Neque enim facile est perficere, ut irascatur, cui tu velis, judex, si tu ipse id lente ferre videare; neque ut oderit eum, quem tu velis, nisi te ipsum flagrantem odio ante viderit; neque ad misericordiam adducetur, nisi ei tu signa doloris tui verbis, sententiis, voce, vultu, collacrimatione denique ostenderis. Ut enim nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quae, nisi admoto igni, ignem concipere possit: sic nulla mens est tam ad comprehendendam vim oratoris parata, quae possit incendi, nisi inflammatus ipse ad eam et ardens accesseris. Ac ne forte hoc magnum ac mirabile esse videatur, hominem toties irasci, toties dolere, toties omni animi motu concitari, praesertim in rebus alienis, magna vis est earum sententiarum atque eorum locorum, quos agas tractesque dicendo, nihil ut opus sit simulatione et fallaciis. Ipsa enim natura orationis ejus, quae suscipitur ad aliorum animos permovendos, oratorem ipsum magis etiam, quam quemquam eorum, qui audiunt, permovet.“ *Induere* vero eleganter dici de affectibus jam Dronkius docuit, conferens Tac. Hist. IV, 38: quae falsos pavores induerat. Ibid. IV, 57: Galbam et infracta tributa hostiles spiritus induisse. Ann. XII, 40: mox orto discidio et statim bello etiam adversus nós hostilia induerat. Sin autem pro *induerit* Andresenii conjectura *voluerit* reciperetur, facilius eum intelligeremus affectum, quem ipse orator accipere voluerit, quam illum, quem orator voluerit populum accipere.

Eodem capite deinceps accurata meditataque oratio opponitur ex tempore dicendi facultati, cujus praecipua jucunditas laudatur. Idemque fere valent, quae sequuntur:

Digitized by Google

„Nam in ingenio quoque, sicut in agro, quamquam alia diu serantur atque elaborentur, gratiora tamen quae sua sponte nascuntur.“ Quae quum Andresenio intelligi non posse viderentur, conjecit: „Nam in ingenio quoque, sicut in agro, quamquam *solidiora* [vel *validiora*] *quae* seruntur atque elaborantur, gratiora tamen, quae sua sponte nascuntur.“ Attamen nihil immutandum. Recte enim auctor dialogi alia diu seri atque elaborari, alia sua sponte nasci eaque gratiora esse ait. Ac perperam vocabulum *diu* a scriptore emendationum deletum est, non perspiciente quidem id ad ambo verba *serantur* atque *elaborentur* pertinere. Neque quemquam puto negaturum, plurima in ingenio diu et seri et elaborari.

Cap. 8. princ. verbis de laude Eprii Marcelli et Vibii Crispi factis hoc modo pergitur: „nec hoc illis alterius ter milies sestertium praestat, quamquam ad has ipsas opes possunt videre eloquentiae beneficio venisse, ipsa eloquentia, cujus numen et caelestis vis multa quidem omnibus saeculis exempla edidit“ cet. Totus locus Andresenio judice sic corrigendus est: nec hoc illis alterius *bis, alterius* ter milies sestertium praestat: *quin* ad has ipsas opes possunt videri eloquentiae beneficio venisse, cujus — i. e. und dies trugen ihnen nicht die 200 Millioneu des Einen und die 300 Millionen des Andern ein; es kann vielmehr ſcheinen, als wären ſie zu eben dieſem Reichthume durch die Beredtſamkeit gelangt, deren —“. Jam Lipsius: „scribas, inquit, et distinguas: „nec hoc illis alterius ter milies *alterius bis milies* HS praestat (quamquam ad has ipsas opes possunt videri eloquentiae beneficio venisse) *sed* ipsa eloquentia“, quae addidi satis mihi certa suut, numero tantum excepto, nam certe utriusque opes exprimere propositum habuit.“ — Quod Andresenius *quin* pro *quamquam* substituit et verba *ipsa eloquentia* expunxit, haec non est emendatio sed potius

Digitized by Google

depravatio lectionis vulgatae. Nimirum Aper Eprium Marcellum et Vibium Crispum gloriam suam consecutos esse dicit ipsa eloquentia non divitiis, quas quidem eloquentia sibi comparasse nonnemini videri possint. Quae sententia deletis verbis *ipsa eloquentia* prorsus commutatur, quo accedit, quod pronomen *cujus* proprie ad beneficium neque ad eloquentiam referendum est. Si mihi licet conjecturam afferre, scribendum suaserim; „nec hoc illis *ulterius* ter milies sestertium praestat“ i. e. „hoc illis *remotius* ter milies sestertium praestat“, quod ad verba antegressa „non minus esse in extremis partibus terrarum quam Capuae aut Vercellis“ spectans nihil aliud nisi Marcelli et Crispi famam quoquoversus pervulgatam significat.

Cap. 10. init. Aper opinionem et famam aeque poetas quam oratores sequi infitians utitur hisce verbis: „quando enim rarissimarum recitationum fama in totam urbem penetrat?“ Quod sibi velit *rarissimarum* controversum esse videatur, sed recta hujus vocabuli explicatio ex nomine *fama* recte intellecto ultro consequitur. Id enim hoc loco minime sonat nuntium (Kunde) sed famam eandem ac modo memoratam, cui soli poetae serviant et quod unum esse pretium omnis sui laboris fateantur. Proinde *rarissimarum* non est *vilissimarum*, quales sane recitationes communes solebant esse, sed *excellentissimarum*, ut haec evadat sententia: wann dringt denn ein Ruf von den ausgezeichnetſten Vorleſungen in die ganze Stadt? Quae adjectivi *rarus* significatio non solum apud Ovidium Pont. II, 3, 55: „Scilicet indignum, juvenis rarissime, ducis te fieri comitem stantis in orbe Deae“ et Met. XIV, 337: „Rara quidem facie, sed rarior arte canendi,“ sicut apud Propertium I, 17, 16: „Quamvis dura, tamen rara puella fuit,“ verum etiam apud Senecam Controv. IV, 28: „homo rarissimi, etiamsi non emendatissimi ingenii“ reperitur. Andresenius autem

Digitized by Google

legi vult: „quando enim *rarissima harum* recitationum fama, quae quotidie a poetis in hac urbe instituuntur, et de quibus supra (c. 9) locutus sum, wann dringt einmal die ſo ſpärliche Kunde von dieſen Vorleſungen in die ganze Stadt.“ Ecquis tamen praeter Andresenium *harum* adhuc ad cap. 9 referat? Praeterea istas recitationes frequentissimas fuisse notissimum est, quamobrem etiam nuntius earum nequit rarissimus fuisse et si fuisset perrarus, rursus auctori quaerere non licuisset, quando idem in totam urbem penetret. Denique totus hic nuntius a verbis tam praegredientibus quam insequentibus quam maxime alienus est.

Eodem capite medio haec legimus: „ego vero omnem eloquentiam omnesque ejus partes sacras et venerabiles puto, nec solum cothurnum vestrum aut heroici carminis sonum, sed lyricorum quoque jucunditatem et elegorum lascivias et jamborum amaritudinem et epigrammatum lusus et quamcunque aliam speciem eloquentia habet, anteponendam ceteris aliarum artium studiis credo.“ Andresenius hoc loco offendit in pleonasmo verborum *ceteris aliarum artium studiis*. At supra cap. 4 „patrocinium defendendae poeticae“ sine offensione legit et jam Schulzius nos docuit, auctorem nostrum crebrius duo vocabula vel idem vel simile quid declarantia copulare uti „memoria ac recordatione c. 1, veteres et senes c. 6, vetera et antiqua c. 15, 16, 17, nova et recentia c. 6, 8, conjuugere et copulare c. 17, plenior et uberior, inflatus et tumens c. 18, invidere et livere c. 25, modestia ac pudore, in publicum et in commune c. 26.“ Quare pleonasmum apud auctorem nostrum tolerandum, neque lectionem vulgatam cum conjectura „anteponendam ceteris *altiorum* artium studiis credo“ permutandam censeo.

Cap. 15. medio invenimus: „et quod quibusdam solatio est, mihi auget quaestionem, quia video etiam

Graecis accidisse ut longius absit ab Aeschine et Demosthene Sacerdos ille Nicetes et si quis alius Ephesum vel Mytilenas concentu scholasticorum et clamoribus quatit, quam Afer aut Africanus aut vos ipsi a Cicerone aut Asinio recessistis. Andresenius, cui hic locus displicebat: „Primum enim, inquit, Graeci *etiam* particula ita adjunguntur Romanis, ut utrique idem passi esse dicantur; itaque Romanis accidisse dicitur, ut longius absit ab Aeschine et Demosthene Sacerdos ille Nicetes“ cet. Quid emendator sibi velit, non assequor neque perspicio, cur legi jubeat: „quia video *idem* Graecis accidisse, ut *etiam* longius absit“ cet. Etenim si apud Graecos longius abest ab Aeschine et Demosthene Sacerdos Nicetes quam apud Romanos Afer aut Africanus a Cicerone, Graeci profecto atque Romani non *idem* perpessi sunt, sed Graeci utique acceperunt majorem calamitatem.

Nec generis dissimilis mihi videtur haec Andresenii conjectura esse: „quam Afer aut Africanus aut *nos* ipsi a Cicerone *recessimus*“ pro „quam Afer aut Africanus aut *vos* ipsi a Cicerone aut Asinio *recessistis*“ etsi jam Nastio idem venit in mentem sic interpretanti: denn wenn andere ſich mit dem leeren Troſte begnügen, daß es den Griechen nicht beſſer ergangen ſei, als uns, ſo wünſchte ich um ſo viel mehr die Urſachen zu wiſſen, warum die römiſche Beredſamkeit in unſeren Tagen geſunken iſt, geſetzt auch, daß der Abſtand eines Aeſchines und Demoſthenes von dem Prieſter Nicetes und von den ſchulgerechten Rednern zu Epheſus und Mytilene noch größer wäre, als er zwiſchen Afer und Afrikanus oder zwiſchen uns ſelbſt von der einen und zwiſchen Cicero oder Aſinius von der andern Seite angenommen werden darf. — Sed Messalla, qui vetera tantum et antiqua miratus esse, suae autem aetatis studia adeo irrisisse atque contempsisse supra dictus est, ut nulla suae fratrisque eloquentiae ratione habita neminem sui tem-

Digitized by Google

poris oratorem esse contenderet, hoc loco ad refutandos suos adversarios conversus in modum perappositum ait: ***vos ipsi a Cicerone aut Asinio recessistis*, *i. e. non solum vestri aequales sed et vos ipsi.*** Semet igitur ipsum Messalla hoc loco non magis excepit quam infra cap. 32, ubi „ego, inquit-recesserimus?" Cardinem rei in pronomine ***ipsi*** verti Andresenius Nastiusque plane non viderunt.

Cap. 16. extr. Aper quaestionem movens, qui oratores appellandi sint antiqui ita pergit: „nam, si, ut Cicero in Hortensio scribit, is est magnus et verus annus, quo eadem positio caeli siderumque, quae cum maxime est, rursum existet isque annus horum, quos nos vocamus, annorum duodecim millia nongentos quinquaginta quattuor complectitur, ***incipit*** Demosthenes vester, quem vos veterem et antiquum fingitis, non solum eodem anno, quo nos, sed fere eodem mense exstitisse." Cujus loci multum vexati dictionem „incipit-exstitisse" fulcire student interpretes dialog. cap. 11 „ingredi famam auspicatus sum" et Germ. cap. 30 „initium sedis inchoant." Equidem ***incipit-exstitisse*** non arbitror his vel similibus exemplis confirmandum esse, sed recta potius interpretatione. Nimirum qui exstitit, is est, quamobrem ***exstitisse*** i. q. ***esse.*** Itaque ***incipit exstitisse*** non minus est probabile quam Cic. Brut. 5. ***inchoasti de oratoribus, quando esse coepissent.*** Quum autem libri manu scripti non plane sibi constent vocabulumque ***videtur*** duobus in codicibus inveniatur, Andresenius legi jubet: „complectitur, *ille ipse* Demosthenes vester, quem vos veterem et antiquum fingitis, videtur non solum eodem anno, quo nos, sed etiam eodem mense exstitisse." At ***ille ipse*** cum verbo ***incipit***, quod omnes exhibent codices, confusum esse veri est dissimillimum, quam ob causam in proba lectione vulgata persistere longe praestat quam futilem istam correctionem inculcare. —

Digitized by Google

Cap. 17. init. in sententia: „nam ut de Cicerone ipso loquar, Hirtio nempe et Pansa consulibus, ut Tiro libertus ejus scripsit, VII idus Decembres occisus est“ Andresenio displicet perfectum *scripsit*, quod nec communi omnium scriptorum nec hujus scriptoris usui respondeat; cap. 16 sub finem legi: „nam si, ut Cicero in Hortensio scribit, is est“ cet. Quapropter hic quoque *scribit* restituendum suadet. Inscite vero. De usu praesentis historici et perfecti prorsus promiscuo praeter permulta alia cfr. Nep. Themist. 10: „De cujus morte multimodis apud plerosque *scriptum est*, sed nos eundem potissimum Thucydidem auctorem probamus, qui illum *ait* Magnesiae morbo mortuum, neque *negat*, fuisse famam —. Idem ossa ejus clam in Attica ab amicis esse sepulta-memoriae *prodidit*.“ Con. 5: „Contra ea Dinon historicus-effugisse *scripsit*; illud *addubitat* utrum Tiribazo sciente, an imprudente sit factum.“

Cap. 19. init. Aper Cassium Severum contendens, qui primus a veterum eloquentia deflexerit, non infirmitate ingenii nec inscitia litterarum sed consulto suum dicendi genus elegisse, his verbis utitur: „non infirmitate ingenii, nec inscitia litterarum transtulisse se ad *illud* genus dicendi contendo, sed judicio et intellectu.“ Hic Andresenius nos eo confugere vetat, ut *illud* dicamus idem esse atque id, quod vobis omnibus notum sit, nam si hoc scriptor voluisset, ad discrimen, quod intercedat inter haec duo eloquentiae genera, definiendum necessario dicendum fuisse *ad novum illud dicendi genus* vel simile quiddam, quare se persuasissimum habere corrigendum esse: „transtulisse se ad *aliud* genus dicendi.“ Haec tamen emendandi necessitas mihi non liquet, siquidem *illud* i. q. *notum* valet, ut saepenumero cfr. Cic. Brut. 4 illud Hesiodium laudatur a doctis.

Cap. 23. medio corrigendi cupiditatem Andresenii incendunt haecce verba: „vos vero disertissimi, ut po-

Digitized by Google

testis, ut facitis, illustrate saeculum nostrum pulcherrimo genere dicendi.“ Quae ut immutari possent ei superiora perverse explicanda erant. Itaque „in eis enim, ait, quae antea legimus, Aper loquitur de eis, qui Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Vergilio legunt cet. Hi igitur, inquit, qui tam inculto et impolito dicendi genere utuntur, non possunt saeculum nostrum illustrare.“ Quibus tandem in verbis insit, ego detegere nequeo. Postquam enim Aper de prava antiquorum imitatione locutus est, eos, qui adsunt, cohortatur, ut saeculum suum illustrare pergant, laetissima quaeque antiquorum imitantes. Pravae autem antiquorum imitationi opponitur recta. Nequaquam igitur hic locus reprehendendus minimeque Andresenio ita corrumpendus erat: „vos vero, disertissimi *viri potestis*, ut facitis, *illustrare* saeculum nostrum pulcherrimo genere dicendi.“

Cap. 26. init. Messallae verba haec sunt: „ceterum si omisso optimo illo et perfectissimo genere eloquentiae eligenda sit forma dicendi, malim hercle C. Gracchi impetum aut L. Crassi maturitatem quam calamistros Maecenatis aut tinnitus Gallionis: adeo melius est oratorem vel *hirta toga induere* quam fucatis et meretriciis vestibus insignire. Neque enim oratorius iste, immo, hercule, ne virilis quidem cultus est, quo plerique temporum nostrorum actores ita utuntur“ cet. Quo loco Andresenius verba *hirta toga induere* improbavit, nam sive accusativus cum infinitivo positus sit, nullum locum afferri posse, ubi *toga induere* idem sit quod *togam induere*, sive accusativus *(oratorem)* e verbo induendi pendeat, rursum quaeri, quis tandem oratorem aut hirta toga induere aut fucatis et meretriciis vestibus insignire existimandus sit. Itidem autem Ritteri conjecturam ab Hauptio commendatam *hirtam togam* et *insigniri* non probavit, quo, ut videtur, ipse aliquid novi in medium

Digitized by Google

proferre posset. Sed quod protulit: „adeo melius est *orationem* vel hirta toga induere, quam fucatis et meretriciis vestibus insignire“ id ne recipiamus, jam mira prohibet dictio *orationem toga induere et vestibus insignire.* Praeterea hic omnino non de cultu orationis, sed de habitu oratoris vel actorum agitur.

Cap. 27. Messalla a Materno admonitus, ut propositum perageret causasque fractae et deminutae eloquentiae exponeret neve Apri verbis irritaretur: „non sum, inquit, offensus Apri illa disputatione, nec vos offendi decebit, si quid forte aures vestras perstringat, quum sciatis hanc esse ejusmodi sermonum legem, judicium citra damnum affectus proferre“, quae verba Nastius in hunc modum interpretatur: „Ich bin über das, was Aper geſagt, gar nicht aufgebracht, erwiderte Meſſala und auch Ihr müßt nicht böſe werden, wenn etwa mein Urtheil hie und da von dem eurigen abweichen ſollte.“ Andresenius lectionem vulgatam *nec vos* cum verbis *Apri illa disputatione* congruentem redditurus *mea* post *nec* inseri voluit, non animadvertens, *mea* in verbis sequentibus *si quid forte aures vestras perstringat* inesse ideoque abundare. Ceterum lege *nam nec vos offendi decebit*, denn auch euch wird es nicht geziemen eine Verletzung zu finden. Sine ulla causa idonea particula *nam*, quam cuncti codd. praestant, expuncta est. Negatione *nec* itidem usus est Cic. Fin. II, 22: „Non igitur potestis voluptate omnia dirigentes aut tueri aut retinere virtutem, *nam nec* vir bonus ac justus haberi debet, qui, ne malum habeat, abstinet se ab injuria.“ Tusc. I, 26: „Quid porro inventio? Profecto id, quo nec in deo quicquam majus intelligi potest.“

Cap. 28. init. quum in eo sit Messalla, ut causas corruptae eloquentiae explicet: „non reconditas, inquit, Materne, causas requiris, nec aut tibi ipsi aut huic Secundo vel huic Apro ignotas, etiamsi mihi partes assig-

Digitized by Google

natis proferendi in medium, quae omnes sentimus. Quae verba Andresenio non videntur ferenda esse, quippe „illarum enim, ait, duarum enuntiati partium, quae particula *etiamsi* conjunguntur, sententia prorsus eadem est. Qui enim causas manifestas nec cuiquam ignotas exponi vult, is profecto illum ea proferre jubet, quae omnes sentiunt. Itaque non solum intra ejusdem sententiae fines idem bis dicitur, sed etiam, id quod multo gravius est, duae illae enuntiati partes, quarum eadem est vis ac sententia, particula *etiamsi* inter se copulantur. Neque enim verborum sententiam ita invertere et corrumpere licet, quasi dicatur: nemini nostrum istae causae ignotae sunt, etiamsi me eas proferre jubeatis; nam nec legitur *non reconditae sunt*, sed *non reconditas causas requiris*, nec *eas in medium proferendi* sed *proferendi in medium quae omnes sentimus*". Itaque pro *etiamsi* legi vult *sed tamen dicam si* quod a Ritschelio propositum est. At nullum vocabulum hoc loco mutandum, sed falsa modo iuterpretatio in rectam convertenda est. Sane ambae enuntiati partes, si verbis *quae omnes sentimus* omnium sententias significari putamus, nullo pacto per particulam *etiamsi* copulari possunt, quia propemodum idem sonant. Imo etiam ipsum mandatum Messallae datum, ut omnium sententias exponeret, permirum foret, quum sine dubio suam quisque sententiam jam optime sciret. Propterea *sentimus* ad solum sensum referri debet, ut sit i. q. fühlen, empfinden, quemadmodum hoc verbum non ita raro usurpatum est. Praeter locos notissimos Hor. carm. II, 7, 10. III, 1, 33. IV, 6, 3. cfr. Tac. Agric. 6: „ne cujus ulterius sacrilegium respublica quam Neronis sensisset."

Cap. 31. medio in enunciatione: „alios fusa et aequalis et ex communibus ducta sensibus oratio magis delectat" Andresenius censet scribendum „fusa et *aequabilis*." Sed vocabulum *aequalis* non solum a poetis ut ab Ovid. Met. XI, 463: „aequali ictu scindunt freta et

Digitized by Google

ab Hor. Sat. I, 3, 9: „nil aequale homini fuit illi,“ quod Orellius explicuit: „nihil erat aequabile in illo homine, in nulla re sibi constabat“ sed etiam a scriptoribus orationis solutae, velut a Liv. XXIV, 46: „imber-lentior deinde aequaliorque accidens auribus magnam partem hominum sopivit“ et a Quintil. X, 1, 54: „Apollonius — non tamen contemnendum edidit opus aequali quadam mediocritate“ vi eadem qua hic adhibitum est, quapropter *aequabilis* nemo desideret.

Cap. 32. init. legimus: „idque non doctus modo et prudens auditor, sed etiam populus intelligit ac statim ita laude prosequitur, ut legitime studuisse, ut per omnes eloquentiae numeros isse, ut denique oratorem esse fateatur; quem non posse *aliter* existere, nec exstitisse unquam confirmo, nisi eum, qui tanquam in aciem omnibus armis instructus, sic in forum omnibus artibus *armatus* exierit.“ Hoc loco confidit Andresenius auctorem dialogi scripsisse: „quem non posse *alium* existere — confirmo, nisi eum, qui“ cet., quam lectionem concinnitas sermonis iuexorabili severitate efflagitet. Emendatione autem nulla opus est, quoniam *aliter* est *alia condicione* sicut Liv. XLV, 11: „Non aliter classem revocaturum, nisi sibi tota Cypro cederet.“ Contra *alium* nihil est nisi *alius generis*, quod ab hoc loco prorsus abhorret, quia non de ipso oratore sed dumtaxat de ejus forum ingredientis apparatu disputatur. Neque, si de genere ipsius oratoris ageretur, *alium* vulgato *aliter* supponi utique necesse foret, quandoquindem vel verbum *esse* cum adverbio *aliter* copulatum reperimus cfr. Ter. Phorm. III, 2, 44 sq: „ego hunc esse aliter credidi — nihilo sum aliter ac fui.“ Ad. III, 4, 46: „sin aliter animus vester est.“ Ibid. III, 5, 5: „sin aliter de hac re est ejus sententia.“

Quod idem Andresenius *ornatus* in locum scripturae omnium codd. *armatus* suffici voluit, in eo, puto, ne-

Digitized by Google

minem habebit assentientem, nam praeter eum nemo non dispiciat facillime, verbum *armatus* antegresso *armis instructus* egregie convenire et ab auctore non sine delectu scriptum esse. Cfr. supra cap. 5: „quid erit tutius, quam eam exercere artem, qua semper armatus praesidium amicis — ultro ferat —?“.

Eodem cap. medio haec leguntur: „quod adeo negligitur ab horum temporum disertis, ut in actionibus eorum *ius quoque* quotidiani sermonis foeda ac pudenda vitia deprehendantur.“ Osannus conjecit: „ut in actionibus eorum *vitia quaeque* quotidiani sermonis foeda ac pudenda deprehendantur; Andresenius contra „ut in actionibus eorum *quaevis* quotidiani sermonis foeda ac pudenda vitia deprehendantur.“ Verisimilius cuipiam *usquequaque* esse videatur.

Cap. 36. init. dicitur de differentia antiquae et recentioris eloquentiae: „nam etsi horum quoque temporum oratores ea consecuti sunt, quae composita et quieta et beata re publica tribui *fas* erat, tamen illa perturbatione ac licentia plura sibi *assequi videbantur*, quum mixtis omnibus et moderatore uno carentibus tantum quisqne orator saperet, quantum erranti populo persuaderi poterat.“ Opponuntur hic diserti horum temporum oratoribus superioribus atque temporum condicio, quae nunc est, illi, quae tum erat, quum omnia miscebantur. Andresenius vero qui *tribui nefas* corrigit mentionemque fieri vetat de statu rerum, qui tum erat, non recte Messallam ratus suam aetatem appellare compositam et quietam et beatam, tantis enim laudibus eam demum rei publicae condicionem ornari debere, quam in rerum natura nusquam inveniamus et cogitando tantum tanquam beatissimam informemus — se sententiarum contextum prorsus delere non animadvertit. Aeque inanem laborem suscepit subinde legi jubens: „tamen illa perturbatione ac licentia plura sibi *assecuturi fuisse videbuntur*“ cujus

Digitized by Google

enuntiati subjectum sit *horum quoque temporum oratores*. Tam autem initio hujus capitis: „Magna eloquentia sicut flamma materia alitur et motibus excitatur et urendo clarescit. Eadem ratio in nostra quoque civitate antiquorum eloquentiam provexit“ quam causa verbis *plura sibi assequi videbantur* adjuncta: „quum mixtis omnibus et moderatore uno carentibus tantum quisque orator saperet, quantum erranti populo persuaderi poterat“ satis declaratur subjectum verbi *videbantur* antiquos esse, neque horum temporum oratores, qui enunciatione tantum interjecta memorati sunt.

Neque pluris aestimandum, quod Andresenius in verbis: „quantum quisque orator“ nomen *orator* ex glossemate ortum opinatur, namque minime abundat.

Verba sequentia: „hinc accusationes potentium *reorum* Andresenio stomachum vehementer moverunt, ut substitueret „hinc accusationes potentium *virorum*“ quae est Nastii versio „daher die beſtändigen Anklagen mächtiger Perſonen.“ Sane Andresenius nomine *reorum* hic jam accusatos designari credens molestam tautologiam sibi invenisse videtur, quae non ipsi auctori antiquo, sed ejus modo interpreti ascribenda est. Sole enim illustrius et clarius est, accusationes non ad jam accusatos spectare, sed ad arguendos. Scilicet actor primum accusandi potestatem a praetore postulabat, deinde ea impetrata nomen accusandi deferebat eodemque a praetore in reos relato sontem accusabat, crimen ipsum exponens et argumentis testibusque probans, quo demum facto reus erat accusatus. Cfr. Cic. de Orat. II, 43 (79): „Reos autem appello non eos modo, qui arguuntur“ cet. Tac. Ann. II, 74 extr. „crimina et accusationem tanquam adversus receptos jam reos instruebant.“ Proinde nostro loco *reorum* i. est q. *noxiorum*, sicuti in notissima dicendi formula *aliquem reum agere* (Tac. Ann. III, 13. Liv. XXIV, 25) nondum ea quidem

Digitized by Google

a quoquam improbata, quamvis hic *agere* etiam plane idem valeat atque *accusare*, quemadmodum in dictionibus *aliquem furti* vel *injuriarum agere*.

Cap. 39. extr. pro verbis: „itaque hercule ejusmodi libri exstant, ut ipsi quoque, qui *egerunt* non aliis magis orationibus *censeantur*“, quippe quae intelligi nequeant, Andresenius proponit: „itaque hercule ejusmodi libri exstant, ut ipsi quoque, qui *legerunt*, non aliis magis orationibus *accedantur*, daher giebt es auch in der That noch heute Reden, die der Art ſind, daß ſelbſt diejenigen, welche ſie nur geleſen haben, durch keine andern Reden in höherm Grade hingeriſſen werden.“ Verumtamen non temere corrigendum, sed solum recte interpretandum est. Nimirum ratione cum eorum, quae antea dicta sunt: satis constat C. Cornelium et M. Scaurum et T. Milonem et L. Bestiam et P. Vatinium concursu totius civitatis et accusatos et defensos, ut frigidissimos quoque oratores ipsa certantis populi studia excitare et incendere potuerint“ tum verborum subsequentium: „non aliis magis orationibus censeantur“ habita nemini non dateat nomine *libri* orationes concursu totius civitatis habitas significatas esse. Neque est, cur censeantur impugnes, utpote quod hic nostro ſchätzen i. e. hochſchätzen respondeat, ut Tac. Agric. 45: „Una adhuc victoria Carus Metius censebatur.“ Sueton. de illustr. gramm. 10: „multiplici variaque doctrina censebatur.“ Praeterea *quoque*, quod Andresenio videtur ratione carere, ad orationes ipsos adjungit oratores. At ipsius emendatoris nostri *quoque* non habet, quo cum lectoribus suis applicetur. Quam futile autem totum ejusdem inventum sit, jam ex praepostera elucet verborum *legerunt* et *accendantur* constructione, pro qua aut *legunt* et *accendantur* aut *legerunt* et *accensi sint* exspectabas.

Cap. 26. extr. leguntur: „ego autem exspectabam, ut incusato Asinio et Coelio et Calvo aliud nobis agmen

Digitized by Google

produceret, pluresque vel certe totidem nominaret, ex quibus alium Ciceroni, alium Caesari, singulis demum singulos opponeremus. Nunc detrectasse nominatim antiquos oratores contentus, neminem sequentium laudare ausus est, nisi in publicum et in commune, veritus, credo, ne multos offenderet, si paucos excerpsisset. Quotus enim quisque scholasticorum non hac sua persuasione fruitur, ut se ante Ciceronem numeret, sed plane post Gabinianum?" Hoc loco Andresenius dubitat, utrum in modum intelligenda sint verba ***sed plane post Gabinianum***, num „ut se ante Ciceronem numeret, quum sit plane post Gabinianum numerandus, während er doch weit hinter dem Gabinian zu stehen kommt" quae sit versio Nastii-primum autem ed. Bipont. enarravit: „quum tamen plane post Gabinianum sit" — an „ut se plane post Gabinianum numeret, sed ante Ciceronem, i. e. ut Gabiniano quidem inferiorem se habeat, sed Ciceroni non solum parem, verum etiam superiorem" — qua ratione interpretati sunt Schulzius, Orellius, Osannus. Ergo Gabinianus ex opinione scholasticorum unus omnium, quotquot fuerunt, oratorum Romanorum longe excellentissimus fuerit, quod credat, qui velit. Iidem etiam oratores, quorum quisque se superbissime ante Ciceronem numerabat sibique igitur ad modum poetarum Romanorum ipse optimus videbatur, sese plane post Gabinianum demisissime numeraverint, oratorem illum quidem omnino tam ignotum, ut ejus jam Quintilianus (X, 1, 116—122) nullam fecerit mentionem, unde eundem potius rhetorem admodum mediocrem fuisse satis elucet, quo quum scholastici etiam multo inferiores essent, eos necesse est oratores infimos fuisse. Nihilominus tamen se Cicerone superiores ducebant, quae summa arrogantia a Messalla recte ac merito notatur. Quae quum ita sint, post nomen ***Gabinianum*** inusitatum participium ***ens*** supplere debemus ut evadat sententia: „sed longe Ga-

Digitized by Google

biniano posterior.“ Pari ratione dixit Cic. Orat. 2: „Nam in poetis non Homero solus locus — aut Archilocho aut Sophocli aut Pindaro, sed horum vel secundis vel etiam infra secundos i. e. vel etiam inferioribus quam secundis.

Cap. 7. locum corruptum: „quod si non in alio oritur nec in codicillis datur“ Andresenius sanare studet scribens: „*quod sine commendatione natalium paritur*, nec codicillis datur.“ Hunc locum ad nos non integrum pervenisse sane pro explorato habemus, nec tamen *alio* vitiosum putamus, sed aliquid post verbum *abire* intercidisse credimus, quia hoc solitarium omnino intelligi nequit. Quid vero interciderit? Aliquid, ut *tum* anaphoricum indicat, sententia antecedente etiam superius ac gravius, quam ob causam *in coelum* post *abire* perditum esse suspicamur, quia hoc additamentum cum ad verba antegressa, tum imprimis ad insequentia, siquidem hic mecum etiam reposueris: „nec *ei* codicillis datur, nec cum gratia venit“, aptissimum videtur. Valet autem *abire in coelum* i. q. *in coelum evehi*, *tolli ferri* sive *ad deos evehi*, *diis misceri*, quae sunt notissima Horatiana.

Cap. 19. Andresenio corruptela latere videtur in his verbis: „cum condicione temporum *et* diversitate aurium formam quoque ac speciem orationis esse mutandam“, quoniam non diversitas aurium, sed aures potius mutentur. Corrigere igitur conatus est: „cum condicione temporum *ex* diversitate aurium, mit den Zeitverhältniſſen gemäß der Verſchiedenheit des Geſchmacks.“ Contra Osanno judicanti, si cum condicione temporum forma quoque orationis mutanda sit, non solum formam orationis, sed etiam condicionem temporum mutandum esse, quod dicere ineptum foret, emendari placuit, „*e* condicione temporum et diversitate *auditorum*“ quod memorasse satis habemus, utpote hic nihil retractandum

Digitized by Google

esse existimantes. Quia quidem verba: „cum condicione temporum et diversitate aurium“ nec *mutanda* nec *mutata* suppleri concedunt, praepositionem *cum* hoc loco non *una cum* valere apertissimum est. Quid vero eadem significet? Nihil nisi *convenienter cum* seu *secundum.* Hocce enim enuntiatum a superiori cap. 18: „mutari cum temporibus formas et genera dicendi“ bene distinguendum esse jam diversis formis verbalibus *mutari* et *esse mutandam* declaratur, quarum altera ad tempora spectat imperfecta, altera ad res jamjam perfectas, ita ut Cassius Severus vidisse dicatur, convenienter cum condicione suorum temporum et diversitate aurium formam quoque ac speciem orationis esse mutandam. Cfr. Liv. XXII, 22: „Abelux erat Sagunti nobilis Hispanus, fidus ante Poenis: tum (qualia plerumque sunt barbarorum ingenia) cum fortuna mutaverat fidem.“

Cap. eodem medio Aper disserens, quid intersit inter oratores antiquos et inter recentiores: „nec mirum, inquit, erant enim haec nova et incognita et ipsorum quoque oratorum paucissimi praecepta rhetorum aut philosophorum placita cognoverant. At hercule pervulgatis jam omnibus, quum vix in corona quisquam assistat, quin elementis studiorum si non instructus, at certe imbutus sit“ cet. Andresenio neque lectio codicum, quae est *cortina*, neque conjectura *corona* a plerisque recepta satisfacit, quod *in corona* non solum abundet, sed etiam *vix* particulae repugnet. Interrogans autem, ubinam tandem reliqui asstiterint, qui elementis studiorum non solum imbute sed instructi fuerint, tantum modo cavillari videtur, nam auditores elementis studiorum tam instructos quam imbutos promiscue asstitisse notissimum est. Quod Andresenius sententiam „cum vix de tunicato hoc populo assistat, quin“ cet. vel „cum vix in sordidissimis atque humillimis judiciis

Digitized by Google

assistat, quin“ necessariam censens nescit, quemadmodum hanc vel illam restituat, id non dolemus quum conjectura *corona* recipienda sit.

Cap. 27. pro *aparte* Andresenius *parce* substituit, neque tamen ipse locum produxit, neque nos talem afferri posse arbitramur, ubi *parce* absolute positum sit. Longe igitur probabilius cuipiam *ad partes* esse videatur, dictum id quidem, ut illud *ad arma* Liv. III, 15. Quod ad vocem *partes* attinet cfr. cap. 28 princ.: „etiamsi mihi partes assignatis proferendi in medium quae omnes sentimus.“

Cap. 20. med. haec videntur Andresenio inter se inepte opposita esse: „poeticus decor non Accii aut Pacuvii veterno *inquinatus*, sed ex Horatii et Virgilii et Lucani sacrario *prolatus*“; non enim decorem orationis, sed orationem ipsam Accii et Pacuvii veterno inquinari; optime igitur, quid sententia desideret, Nastium sensisse interpretantem: „freilich nicht aus der ſchmutzigen Plunderkammer des Accius und Pacuvius, aus dem Heiligthum des Horaz, Virgil und Lucan geſchöpft.“ Quam sententiam ut probabili quadam conjectura restitueret, emendatori nostro non contigit, qua quidem conjectura omnino non opus erat, dummodo verbum *inquinatus* exstingueretur. Cur vero solum ipsa oratio, neque perinde poeticus ejus decor ab oratore exigendus veterno inquinari queat, id Andresenius nos docere supersedit. Verumtamen in decorem illum verbum *inquinatus* egregie convenit, quod idem nomine *veterno* (i. e. vetustis sordibus) utique requiritur. Cfr. Liv. XXVII, 39: „Itaque ibi foedum certamen inquinandi famam alterius, cum suae famae damno, factum est.“ Cic. Fin. V. 8: „— obscurantis est omnem splendorem honestatis, ne dicam inquinantis.“

Digitized by Google

Jam ad lacunas transgrediamur, quas Andresenius invenisse sibi visus est.

Ac primum quidem nobis de tribus inter se connexis locis dicendum est. Postquam Maternus laetitiam suam de judice sibi oblato declaravit, Secundus cap. 5 init.: „ego vero, inquit, antequam me judicem Aper recuset, faciam quod probi et moderati judices solent, ut in iis cognitionibus se excusent, in quibus manifestum est, alteram apud eos partem gratia praevalere.“ Qua comprehensione quum Andresenius Secundum munus arbitri prorsus respuere opinetur, in verbis subsequentibus: „securus sit Salejus Bassus et quisquis alius studium poeticae et carminum gloriam fovet, quum causas agere non possit. Ego enim quatenus arbitrum litis hujus inveni, non patiar Maternum societate plurium defendi, sed ipsum solum apud eum arguam, quod“ cet. libris aliquot *inveniri* exhibentibus adjutus duas voces conjicit intercidisse, ut scriptum ab auctore sit: „quatenus arbitrum litis hujus *inveniri non puto,* non patiar Maternum societate plurium defendi“ i. e. „quoniam, postquam Secundus delatum ad se judicium suscipere se nolle professus est, qui unus tanto muneri par erat, alium arbitrum hujus litis inveniri non puto, quam jamdiu sine ullo judice agimus.“ Praeterea pro verbis: „sed ipsum solum apud eum arguam“ quod ea nullo arbitro praesente isti argumentationi repugnare videantur, legendum esse existimat: „sed ipsum solum *apud se coarguam.*“ Quod inventum nobis permirum videtur. Postquam enim Maternus Secundum arbitrum designavit, hic se arbitrium non tam suscipere dicit, quam pati, ut Aper ipsum arbitrum recusaret. Aper autem verbis „quatenus arbitrum hujus litis inveni“ Secundi excusationem se non accipere ait. Sententiis igitur accuratius perlustratis Andresenium non solum sermonis

Digitized by Google

contextum secus intellexisse, sed etiam ineptias quam maximas auctori dialogi ascripsisse apparet.

Deinde Andresenius ad quatuor locos alios attendandos irritatur.

Cap. 8. postr. legimus: „Minimum inter tot ac tanta locum obtinent imagines ac tituli et statuae" ubi critico nostro displicent verba „inter tot ac tanta" quoniam nusquam alibi *tot* nullo adposito substantivo idem valeat ac *tam multa* quapropter *inter tot ac tanta praemia* mavult. Attamen et apud auctorem nostrum exstat locus, ubi *tot* pari modo positum est cap. 39: „quum tot pariter ac tam nobiles forum coartarent" ubi quidem Andresenius *auditores* inseri vult, et apud Ciceronem Coel. 28. legimus: „An timebant, ne tot unum, valentes imbecillum, alacres perterritum superare non possent?"

Cap. 37. init.: „nescio an venerint in manus vestras haec vetera, quae et in antiquariorum bibliothecis adhuc manent et cum maxime a Muciano contrahuntur ac jam undecim, ut opinor, actorum libris et tribus epistularum composita et edita sunt" Andresenins, cui *haec vetera* non satis eleganter dictum videtur *haec vetera volumina* postulat.

Cap. 10. in sententia: „quod plerisque patrocinatur, tanquam minus obnoxium sit offensae poëtarum quam oratorum studium" post *plerisque* addi vult *poetis,* commotus fortasse Nastii interpretatione: „vornehmlich da du dich nicht einmal darauf berufen kannſt, was ſonſt die meiſten Dichter für ſich anführen können." Vocem autem *plerisque* ad poetas referendam esse et ex praegressa disputatione et ex verbis subinde succedentibus „tanquam minus obnoxium sit offensae poetarum quam oratorum studium" satis superque elucet, quapropter illud additamentum non inculcandum est.

Cap. 10. Aper ab auditoribus et theatris Maternum avocare studens sic pergit: „Nec excusatur offensa

Digitized by Google

necessitudine officii, aut fide advocationis aut fortuitae et subitae dictionis impetu: at tu meditatus videris elegisse personam notabilem et cum auctoritate dicturam. Sentio, quid responderi possit: hinc ingentis *ex his* assensus, haec in ipsis auditoriis praecipue laudari et mox omnium sermonibus ferri. Tolle igitur quietis et securitatis excusationem, cum tibi sumas adversarium superiorem.“ Cur Andresenius hoc loco Nastii, cui saepissime adstipulatur, animadversionem: „Im Lateiniſchen heißt es: hinc ingentes existere assensus, hinc in ipsis auditoriis praecipue laudari. Die Verbeſſerung der alten Lesart ex his, wofür Acidalius existere lieſ't, iſt mit Recht von den Zweibrückern in den Text aufgenommen worden“ cet. non approbaverit perspici non potest, nisi eidem Acidalii conjecturam *existere* non minus quam Wolfii *exciri* ignotam fuisse ex ejus verbis: „In libris scriptum est: hinc ingentis ex his assensus, in quibus verba *ex his* e glossemate nata esse videntur. Quoniam autem verbum aliquod necessarium est, exempli causa posui *fieri*‘, colligere velis. Nec magis vero Andresenii verbo *fieri* quam Acidalii *existere*, aut Wolfii *exciri* hic locus persanatur. Etenim *ex his* omnino nihil nisi grammatici cujusdam explicatio vocis *hinc* in margine adscripta fuit, unde in contextum operis irrepsit. At Andresenio judice verbum aliquod necessarium est, neque aliter alii sentiunt. Nos autem *ex his* expungentes verbum nullum desideramus secundum Cic. Coel. 25: „Hinc illae lacrimae nimirum et haec causa est horum omnium scelerum et criminum.“ Pari modo scripsit Tacitus Hist. IV, 14: „Hinc invidia et compositi seditionis auctores perpulere, ut delectum abnuerent.“

Praeterea Andresenius mavult: „haec *et* in ipsis auditoriis praecipue laudari et mox omnium sermonibus ferri“ quippe quum hae duae sententiae artissime conjunctae et inter se oppositae sint. Sed qua ratione res

Digitized by Google

artissime conjunctae simul inter se oppositae seu simul disjunctae esse possint? Priore potius sententia „haec in ipsis auditoriis praecipue laudari“ dictum antecedens „hinc ingentis assensus“ explanatur, quocirca *et* nullo pacto intrudendum. —

Itidem cap. 21: „ac praecipue secunda ex iis oratio; est enim verbis ornata et sententiis, auribus judicum accommodata“ emendator noster legi vult: „est enim *et* verbis ornata et sententiis. Ita quidem dici potest, neque tamen debet. Sed nos ad lacunam convertamus, de qua ante enuntiatum *tolle igitur* cet. detecta Andresenius plurima verba frustra facit, vel haecce vel similia intercidisse opinans: *„sed eo facilius ad aures principis permanabunt.“* Ecquis vero talia unquam recipiat? An ea quae probabilitatem nec internam nec externam habent, non mera sunt commenta, quibus oleum et operam perdimus? Huc accedit, quod hic locus omnino non est mancus. Postquam enim Aper de offensae periculo, quod Maternus subierit, pluribus disseruit, eum verbis *hinc ingentis assensus* cet. quibus idem se excuset, quod Catonem tragoediae personam elegerit, modo recondito respondentem facit. Quo facto Aper verbis *tolle igitur* cet. ad suum redit propositum, ut Maternum ad eloquentiam revocet.

Cap. 14. Messallae cubiculum Materni ingresso suspicatoque se altiorem sermonem interrupisse, Secundus: „Minime, minime, inquit, atque adeo vellem maturius intervenisses. Delectasset enim te et Apri nostri accuratissimus sermo, quum Maternum, ut omne ingenium ac studium suum ad causas agendas converteret, exhortatus est; et Materni pro carminibus suis laeta, utque poetas defendi decebat, audentior et poetarum quam oratorum similior oratio.“ Cui respondet Messalla: „me vero et sermo *ipse* infinita voluptate affecisset atque id ipsum delectat“ cet. Hic lacunam repertam Andresenius

Digitized by Google

sic explet: „me vero et sermo *iste et oratio* infinita voluptate affecisset, in der That, ſagte Meſſalla, mir hätte ſowohl jener Vertrag als jene Rede unendliches Vergnügen bereitet, i. e. et sermo iste accuratissimus Apri et Materni ista laeta et poetarum quam oratorum similior oratio.“ Non assecutus diversam nominis sermonis significationem criticus noster Messallae *sermo ipse* cum Secundi *Apri nostri accuratissimus sermo* confudit et ut etiam alios in hunc permirum errorem induceret, non modo *iste* pro *ipse* reponi, verum etiam *et oratio* ad Maternum spectans inculcari voluit. Secundum sane oportebat et Apri accuratissimum sermonem (sermo autem est secundum auct. ad Her. III, 13, 23 *oratio remissa et finitima quotidianae locutioni*) et Materni laetam audentiorem, poetarum quam oratorum similiorem orationem memorare, at Messallae etiam sermonem ipsum (i. e. *colloquium ipsum* ut cap. init.) audivisse non poterat non interesse, utpote dicendi genera Apri et Materni prae ipso argumento levia ducentis. Particulas autem *et-atque* pro *et-et* usurpari jam Draegerus nos docuit in libro, qui inscribitur „Ueber Syntax und Stil des Tacitus“ coll. Suet. Claud. 21 „quae utraque et tophina ac lignea antea fuerant.“ Quint. XII, 10, 64: orationem nivibus hibernis et copia verborum atque impetu parem.“

Eodem cap. Andresenio bilem commovent verba: „itaque hercule non minus probari video in te, Secunde, quod Julii Asiatici vitam componendo spem hominibus fecisti plurium ejusmodi librorum, quam *in Apro*, quod nondum a scholasticis controversiis recessit et otium suum mavult novorum rhetorum more quam veterum oratorum consumere.“ Emendator non dispiciens quae sit sententia verborum et quid Messalla ipse de studiis Apri et Secundi sentiat, post *in Apro* verbum *improbari* apposuit. Attamen Messalla non de se, sed de aequa-

Digitized by Google

libus suis loquitur; quo enim modo e verbis „video probari“ conficias illum semet ipsum designasse. Neque fieri poterat, ut Aper ab hominibus qui ipsi se dederant declamatorio studio, vituperaretur. Ex verbis autem: „et otium suum mavult novorum rhetorum more quam veterum oratorum consumere“ Aper de studiis suis Messallam non idem atque alios aequales sentire facile concludebat.

Cap. 22: „nec ulla re magis oratores ejusdem aetatis praecurrit quam judicio“ legi mavult Andresenius: „nec ulla re magis *ceteros ejusdem aetatis oratores* praecurrit quam judicio.“ Exspectamus, inquit, sine dubio, ut Cicero cum ceteris ejusdem aetatis oratoribus comparetur.“ Nec infitiandum nonnemini videatur, auctorem dialogi sic scripsisse, quandoquidem item dictum legimus cap. 25: „sic apud nos Cicero quidem ceteros eorundem temporum disertos antecedit.“ Omnino tamen verba ratione non solum externa, sed etiam interna contemplari debemus. Quod qui non neglexerit, ei *ejusdem aetatis oratores* nihil esse nisi *oratores aequales* ultro apparebit, quod tantum abest, ut *ceteros* desideret, ut modo tantum pleonastico admittat, ita ut id altero loco potius exstingui, quam huic inculcari malim.

Cap. 35. extr. loco a multis tentato: „sequitur autem, ut materiae abhorrenti a veritate declamatio quoque adhibeatur“ Andresenius *adulterina* post *quoque* infert, tanquam talia additamenta sua quisque ex libidine infercire possit. Praeterea de hac declamatione adulterina nemo, opinor, ne fando quidem quidquam jam audiverit. Perperam vero Schulzius lectionem vulgatam *declamatio quoque adhibeatur* ita interpretatur: „i. e. ut non contenti sint sola elaboratione thematis, quod inspiciendo corrigat rhetor, sed addant declamationem, ut perdatur tempus in nugis istis audiendis.“ Imo declamatorium studium Romanorum jam pridem tam com-

Digitized by Google

mune erat, ut ei etiam nobilissimi quique se dederent nemoque Cicerone diutius declamitaret, ut ipse ait Tusc. I, 4. Cfr. Brut. 90. Sueton. de illustr. rhet. 1. Nequaquam igitur *declamatio* hic i. est quod *exercitatio in orando* sed meros significat orantium clamores, quos adeo Hortensius adolescens fecisse traditur a Cicerone Brut. 95. Iidem clamores etiam deinceps *ingentibus verbis* indicantur. Ceterum nomine declamationis auct. ad. Her. itidem usus est verboque declamandi Cicero Verr. IV, 66: Insanus contra me vehementissime declamavit. — In verbis: „sic fit, ut tyrannicidarum praemia aut vitiatarum electiones aut pestilentiae remedia aut incesta matrum aut *quidquid* in schola quotidie agitur, in foro vel raro vel nunquam, ingentibus verbis persequantur“ Andresenius vult *quidquid aliud* substitui. Composito pronomine *quisquis* (wer immer, wer nur, wer auch) summa eorum, quae in medium prolata sunt, frequenter concluditur, qua conclusione etiam alia atque jam allata contineri luce clarius esse videatur. Quid ergo *aliud* post *quidquid* additum sibi velit? Praetermittens multa alia emendatori nostro etiam corrigendum tradam hoc Horatianum sat. II, 1, 59 sq.: „dives, inops, Romae, seu fors ita jusserit, exsul, quisquis erit vitae, scribam, color.“

Cap. 22. extr. invenimus: „quaedam vero procul arceantur, ut jam oblitterata et olentia.“ Quod haec verbi olendi significatio insolentior sit, Andresenius commendat *antiquitatem olentia*. Jam dudum vero observatum est, auctorem dialogi multa novasse, uti cap. 3 negotium sibi importasse, cap. 4 desidiam advocationum, cap. 9 utilitates alunt, cap. 17 sextam hujus principatus stationem, cap. 21 tertio quoque sensu. Quapropter et hoc loco *olentia* et cap. 25 med.: omnes tamen eandem sanitatem eloquentiae ferunt“ ubi Andresenius *prae se ferunt* anteponit simplex *ferunt* non improbamus, prae-

Digitized by Google

sertim cum dixerit etiam Cicero Planc. 14: Suum ipsum dolorem tulit paullo apertius.“ Att. XIV, 13: Laetitiam apertissime tulimus omnes.“ Neque, quod ad *olentia* attinet, silentio praeteream ab Horatio epod. X, 2 ipsum Maevium dictum esse *olentem*, qui erat secundum schol. Cruq. sectator vocum antiquarum. Augustum vel reconditorum verborum *foetores* dixisse refert Suetonius cap. 86.

Cap. 25. legimus: „ne illi quidem parti sermonis ejus repugno, si cominus fatetur plures dicendi formas etiam eisdem saeculis, nedum diversis exstitisse.“ Andresenii commentum: *qua quasi cominus proelium commissurus fatetur*“ mentione vix dignum est, quippe quod non solum a codd. nimis recedat, sed etiam sententiam afferat prorsus alienam. Sonat *cominus* i. q. *coram* perſönlich. Si emendandi viam, quam criticus noster ingressus est, longius persequeremur, brevi novum dialogum eumque quam maxime depravatum haberemus.

Eodem cap. probat Andresenius Ritteri conjecturam: „nam et Calvum et Asinium et ipsum Ciceronem credo solitos et *livore* et ceteris humanae infirmitatis vitiis affici.“ Sed lectio vulgata *invidere et livere* servanda neque vocabula *et invidere* tanquam ex glossemate nata ejicienda sunt. Pleonasmos saepius apud auctorem nostrum reperiri jam supra comprobavimus. Licet etiam dubitare num *invidere* et *livere* prorsus sint synonyma, neque *livere* plus valeat quam *invidere*. Sane *livor* etiam est *invidia*, sed ea potissimum colore livido expressa, quae a nobis dicitur hämiſcher Neid. Ac nescio, an huc etiam verba subsequentia *non malignitate nec invidia* referenda sint.

Paullo post Andresenio in enunciatione: solum inter hos arbitror Brutum non malignitate nec invidia, sed simpliciter et ingenue judicium animi sui detexisse“ aliquid intercidisse videtur; apparere scilicet, neminem

Digitized by Google

recte dici malignitate aut invidia judicium animi sui detegere, quoniam qui alteri invideat, ejus virtutes, quas intimo animo admiretur, se admirari nunquam profiteatur, quare auctorem posse haec scripsisse: „solum inter hos arbitror Brutum non malignitate nec invidia *commotum esse*, sed simpliciter et ingenue judicium animi sui detexisse.“ At auctor dialogi non „malignitate aut invidia judicium animi sui detegere“ sed *non malignitate nec invidia* cet. scripsit. Deinde *commotum esse* non habet, quo spectet nisi eodem, quo pertinet *non malignitate nec invidia.* Quid igitur isto supplemento criticus noster profecerit? Nihil autem scriptura codd. integrius est, quam explices: *non maligne nec invidiose sed* cet. De *cum* praepositione omissa jam Zumpt. gramm. lat. § 472. copiosius disputavit.

Eodem cap. in verbis: „quod ad Ser. Galbam et C. Laelium attinet, et si quos alios antiquorum agitare non destitit“ Andresenius duo menda latere suspicatur. Etsi unumquemque consilium totius Messallae orationis considerantem mox intellecturum concedit, Aprum dici implacabili odio antiquos agitasse, ideo tamen, quod Nastius vertit „denen Aper ſo gar übel mitſpielt“ non dubitat scribere „et si quos antiquorum *Aper* agitare non destitit.“ Hac tamen lacuna suppleta non contentus etiam vocem *antiquorum* mutari vult cum *antiquiorum*, quia antiqui tantum nominentur Cicero ejusque aequales atque solus Aper aliter sentiat. At non modo cap. 16. a Messalla Demosthenes et Hyperides antiqui vocantur, verum etiam ex initio hujus cap. 25. cognoscimus Messallam omnes eos velle antiquos appellari, qui ante centum annos vixerint. Aper contra nomen antiqui Ciceroni ejusque aequalibus non concedit, dum ceteri colloquentes jam Ciceronem antiquis temporibus adscribunt. Nemo igitur infitiari possit Messallam hoc loco Ser. Galbam et C. Laelium summo jure antiquos

Digitized by Google

nuncupasse. Deinde comparativus *antiquiorum* ob sententiam, quam infert, alienam omnino non probari potest, namque quum ad Galbam et Laelium referendus sit, *antiquiorum* significat *Galba et Laelio antiquiorum*, quod a mente scriptoris valde abhorret.

Cap. 34. in enunciato: „scitis enim magnam illam et duraturam eloquentiae famam non minus in diversis subselliis parari quam suis“ Andresenius *in* post *quam* vult repeti sicut corrigi cap. 28. med.: „non in cella emptae nutricis sed *in* gremio ac sinu matris educabatur“ has quidem mutationes communi omnium scriptorum usu commendari judicans. Nulla tamen regula sine exceptione. De multis excipiendis exemplis cfr. modo haecce: Nep. Them. 2: Neque minus in rebus gerendis promtus quam excogitandis erat. Cic. Leg. I, 8: Virtus eadem in homine ac deo est, neque alio ullo ingenio praeterea. Neque rectius corrector noster existimat quatuor tantum locis post particulas *vel* et *aut* antegressam praepositionem repetitam esse, cap. 9. med. intra unum aut alterum diem; cap. 10. ex Hispania vel Asia; cap. 20. init. pro Marco Tullio aut Aulo Caecina; cap. 40. init. ne a Publio quidem Scipione aut Sulla aut Gnaeo Pompejo, nam praeterea legimus cap. 9. in herba vel fiore; cap. 15. a Cicerone aut Asinio; cap. 36. in aliquam invidiam aut crimen; cap. 37. utrumne de furto aut formula et interdicto.

Cap. 29. Messalla de ratione loquens, qua parvuli suorum temporum educentur, sic pergit: horum fabulis et erroribus teneri statim ac rudes animi imbuuntur.“ Andresenio displicent verba *fabulis et erroribus*. „Fabulae, inquit, et errores juxta poni nullo modo possunt. Nam quamquam fabulae, quae hoc loco dicuntur, quin nullius pretii sint et ita comparatae, ut infantium animos corrumpant, nemo dubitat, tamen quod vituperationis cum hoc vocabulo conjunctum est, id nos ex totius

Digitized by Google

sententiae natura interpretando asciscimus, quum in ipsa voce per se spectata nihil insit reprehensionis. Nec vox, quam dicunt mediam, i. e. in qua ipsa nihil inest aut laudis aut vituperationis, cum altera, in cujus notione inhaeret vituperatio eo loco conjungi potest, ubi utramque vocem ejusdem generis esse oportet. Quare *erroribus* mutandum est in *moribus*.“ *Fabula* tamen non semper est vox media, ut par sit sermoni, quae est Andresenii interpretatio sed multi exstant loci, ubi in vocabulo fabulae aliquid inest vituperationis, ut idem valeat, quod narratio rei fictae. Cfr. Cic. Div. II, 55: num igitur me cogis etiam fabulis credere? Terent. Andr. V, 4, 22: fabulam inceptat. Ovid. Met. X, 561: Non fabula rumor ille fuit. Horat. Carm. I, 4, 16: Jam te premet nox fabulaeque. Pers. V, 152: cinis et manes et fabula fies. Martial XII, 25, 5: Dulcis in Elysio narraris fabula campo. Videtur autem verbis *fabulis et erroribus* omnino hendiadys contineri, quod dicendi genus praecipue a Tacito frequentatum esse jam animadvertit Zumptius gramm. lat. § 741. extr. Certe hac figura non admissa vox *erroribus* parum est dilucida.

Paullo post offendit Andresenius in verbis: „quotumquemque invenies, qui domi quidquam aliud loquatur?“ Sermonem enim esse ait de juvenum et adolescentium non de omnium cujusvis aetatis hominum moribns. Itaque Nastii interpretatione: „wie viel findet man wohl junge Leute, die zu Hauſe von was anderem ſprechen“ inductus post *quotumquemque* vult *juvenum* inseri. Hanc ipsam vero ob causam, facile quispiam contradixerit, quod hic modo de adolescentulis disseritur, non esse videtur, cur *juvenum* inferciamus, quod nomen per se jam alienum etiam, si omnino esset inserendum, jam in sententia antecedente post vocabulum *obsessus* locum capere debuisset. Nos tamen nec in quaestione prima, nec in secunda ullum genitivum desideramus, quoniam

Digitized by Google

in tertia genitivum *adolescentulorum* perspicue additum invenimus, antea eum quidem ex ipsis dictis satis patentem ideoque non pernecessarium.

Cap. 30. in sententia: „ita enim, optimi viri, ita ex multa eruditione et plurimis artibus et omnium rerum scientia exundat et exuberat ista admirabilis eloquentia; neque oratoris vis ac facultas, sicut ceterarum rerum, angustis et brevibus terminis cluditur, sed is est orator, qui" cet. vehementissime reprobat Andresenius verba *neque oratoris vis ac facultas sicut ceterarum rerum* negans quidem recte et rationi convenienter oratoris vim ac facultatem cum ceterarum rerum vi ac facultate, sive quod eodem redeat, oratorem cum ceteris rebus comparari, quasi orator in rerum, non in hominum numero habendus sit; deinde incertissimam adeoque perversam notionem effici verbis *ceterarum rerum vis ac facultas,* tanquam iis omnibus, quae exstent praeter eloquentiam, vis ac facultas aliqua recte tribuatur. Immo vim ac facultatem eorum tantum esse, quae ab hominibus exerceantur, scil. artium. Quocirca proponit: *neque oratoris vis ac facultas*, *sicut ceterarum artium certarum rerum angustis et brevibus terminis clauditur* vel, fortasse quod vidit, eundem in his verbis quem in scriptura codd. scrupulum residere *neque oratoris vis ac facultas*, *sicut ceterae artes*, *certarum rerum brevibus et angustis terminis clauditur*. Non recte solis artibus vim ac facultatem vindicare omnibusque rebus ceteris abjudicare studuit, immemor omnium medicamentorum ac permultarum rerum aliarum. Nequaquam vero oratoris vim ac facultatem cum rerum viribus ac facultatibus contendere licet, praesertim voce *ceterarum* apposita, qua orator in numerum rerum redigitur. Praeterea quaenam tandem sint istae ceterae res cum oratore perverse collatae, id nemo expiscari queat. Unde verba *sicut ceterarum rerum* non ipsius scriptoris sed stolidi cujusdam librarii esse

Digitized by Google

manifesto elucet. Quid autem scriptor exaraverit? Hoc quidem pro certo affimare non ausim, sed haud improbabile mihi videtur, ab eo potius dictum fuisse *sicut ceterae res* (scil. *oratoris* seu *oratoriae*) siquidem sola vi ac facultate orator non jam perficiebatur. Cfr. cap. 33: quamquam ipsis artibus inest exercitatio, nec quisquam percipere tot reconditas aut tam varias *res* potest, nisi“ cet.

Cap. 31. Messalla de institutione veterum oratorum locutus ita pergit: „In his artibus exercitationibusque versatus orator, sive apud infestos sive apud cupidos, sive apud invidentes, sive apud timentes dicendum habuerit, tenebit venas animorum: et prout cujusque natura postulabit, adhibebit manum et temperabit orationem, parato omni instrumento et ad omnem usum reposito.“ Ex dictis praecedentibus Andresenius apparere arbitratur, Messallam non de uno judice disserere, apud quem oratori dicendum sit, sed de compluribus auditoribus, quos is tantummodo prospero successu permovere posse dicatur, qui naturam humanam perspexerit, ita ut totius loci sententiae haec repugnent „et prout cujusque natura postulabit.“ Unde ea sumserit, perspici non potest, quum paullo ante dictum sit: „Ex his fontibus etiam illa profluunt, ut facilius iram *judicis* vel instiget vel leniat, qui scit.“ cet. Comparari possunt, quae cap. 39. legimus: „quia saepe interrogat *judex*, quando incipias, et ex interrogatione ejus incipiendum est.“ Multo minus autem comprehendas, quae Andresenius subinde disputat: „Non solum propria cujusque indoles hoc loco commemorari non debebat, sed ne universa quidem humana natura. Unde enim cognoscit orator, si quam causam agit, quo sibi vertendi sint animi, ubi et quomodo sit adhibenda manus, quibus modis temperanda oratio? Ex naturae humanae cognitione nihil discit, nisi quomodo affectus aliquis aut augeatur aut minuatur

Digitized by Google

aut alius in alium mutetur; sed utrum affectus augendus sit an minuendus an mutandus an invertendus, id discit demum ex cujusque causae natura et conditione. Quae si vera est hujus loci sententia, scribendum est: *et prout cujusque causae natura postulabit.*“ Per totum tamen hoc caput de cognitione humanae naturae affectibusque movendis agitur, ac ne nomen quidem causae nisi sub finem capitis commemoratum invenitur. Nec dissimilis hujus sententiae loci sunt apud Ciceronem de orat. I, 52: „teneat oportet venas cujusque generis, aetatis, ordinis et eorum, apud quos aliquid aget aut erit acturus, mentes sensusque degustet.“ Ibid. I, 5: „et omnes animorum motus, quos hominum generi rerum natura tribuit, penitus pernoscendi; quod omnis vis ratioque dicendi in eorum, qui audiunt, mentibus aut sedandis aut excitandis expromenda est.“ Ibid. I, 8: „neque vero mihi quidquam praestabilius videtur quam posse dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere, voluntates impellere, quo velit, unde autem velit deducere.“ — „Quid est . . . . tam potens, tamque magnificum, quam populi motus, judicum religiones, senatus gravitatem, unius oratione converti.“ Ibid. I, 12: „quis enim nescit, maximam vim existere oratoris in hominum mentibus vel ad iram aut ad odium aut ad dolorem incitandis, vel ab hisce iisdem permotionibus ad lenitatem misericordiamque revocandis? Quae nisi qui naturas hominum vimque omnem humanitatis causasque eas, quibus mentes aut incitantur aut reflectuntur, penitus perspexerit, dicendo, quod volet, perficere non poterit.“

Cap. 32. Messalla primam recessus ab eloquentia antiquorum oratorum causam exponens: „Si testes, inquit, desiderantur, quos potiores nominabo quam apud Graecos Demosthenem, quem studiosissimum Platonis auditorem fuisse memoriae proditum est? Et Cicero, his, ut opinor, verbis refert, quidquid in eloquentia ef-

Digitized by Google

fecerit, id se non rhetorum officinis, sed academiae spatiis consecutum.“ Quod huic enuntiato concinnitas sententiae et structurae desit, Andresenio minime dubitandum videtur, quin auctor dialogi sic scripserit: „si testes desiderantur, quos potiores nominabo quam apud Graecos Demosthenem, quem — proditum est, *et apud nos Ciceronem, qui* his ut opinor verbis“ cet. Satis nos habemus hujus generis correctiones commemorasse, refutatione non opus esse censentes. Aliud est codicum scripturam emendare, aliud scriptum tironis corrigere, qua de re nobis jam Gesnerus praef. ad Horat. haecce bene praecepit: „Si quid autem sit etiam, quod a vitiosa repugnantia liberare non possim, non ideo urere et secare licet, non grassari in libros, ut in discipulorum pensa solet emendatrix manus praeceptoris: sed nisi ita mollis, ita liquida, ita clara, ita unica sit emendatio, plane uti dubitare homini rerum perito non liceat, modestiae nostrae et bonorum librorum integritati potius ita consulamus, ut in margine, quid nobis videatur, indicemus. Dici non potest, quam facile sit hic falli, labi, corrumpere quod emendare velis.“

Similis generis sunt duo alia Andresenii commenta.

Cap. 37. med. legimus: „non opinor Demosthenem orationes illustrant, quas adversus tutores suos composuit, nec Ciceronem magnum oratorem P. Quinctius defensus aut Licinius Archias faciunt. Catilina et Milo et Verres et Antonius hanc illi famam circumdederunt.“ Quibus in verbis emendator noster post *composuit* excidisse opinatur *sed quas adversus Aeschinem et Philippum.*

Cap. 17. sub finem idem corrigi vult: „qui se *a Gaio non modo et Tiberio sed* a divo quoque Augusto semel atque iterum accepisse congiarium narrabant.“ Quum ipse hoc supplementum dubium esse dicat, auctoris modo temeritatem notatam volumus.

Digitized by Google

Cap. 36. ubi de gloria praemiisque eloquentiae dicitur, haec invenimus: „nec mirum, quum etiam inviti ad populum producerentur, quum parum esset in senatu breviter censere, nisi quis ingenio et eloquentia sententiam suam tueretur.“ Quem locum secus intelligens Andresenius audacius ut solet ita vult resarciri: quum parum esset in senatu breviter censere, *nec quisquam auctoritate floreret,* nisi qui ingenio et eloquentia sententiam suam tueretur.“ At neque hoc neque Ritschelii supplemento *nec probaretur* indigemus. Verba enim „nisi quis ingenio et eloquentia sententiam suam tueretur“ sat dilucide significant: qui erat homo ingeniosus et eloquens, ei in senatu breviter censere licebat, dum alios copiose sententiam dicere oportebat. Id nimirum eloquentiae praemium erat, quod clarus orator in senatu paucis sententiam ferre poterat nec pluribus defendere cogebatur. Quocirca etiam verbum *tueretur* non est i. q. *defenderet*, ut Andresenius videtur explicuisse, sed potius *tutaretur*, quod nostro decken sive aufrecht erhalten respondet. Cfr. Nep. Epam. 3. Amicorum in se tuendo caruit facultatibus. Attic. 21. quantam curam diligentiamque in valetudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim. Phoc. 1. in summa paupertate tantam paternam gloriam tueri. Cic. Tuscul. III, 5. Stultitiam enim censuerunt constantia, id est sanitate, vacantem, posse tamen tueri mediocritatem officiorum et vitae communem cultum atque usitatum. Cic. Brut. 20. atque etiam L. Paulus, Africani pater, personam principis civis facile dicendo tuebatur.

Cap. 34. Andresenio videtur probabiliter sic scribi posse: „nec adversarii et aemuli ferro, non rudibus dimicantes; *nec* auditorium semper plenum, semper novum, *mixtum* ex invidis et faventibus ut nec bene *nec minus bene* dicta dissimularentur. Quum autem codices cuncti *sed* exhibeant atque quae sequuntur con-

Digitized by Google

traria sint sententiae antecedenti, quae exorditur a verbis „ita nec praeceptor deerat“ *nec* pro *sed* substituere non licet. Item *mixtum* non est admittendum, cur tandem *auditorium ex invidis et faventibus* improbetur? An quod adjectiva *plenum* et *novum* intercedunt? Minime vero. Non dissimiliter scripsit Cic. Verr. IV, 59. Verres mensas Delphicas e marmore, crateras ex aere pulcherrimas abstulit. Denique corrector noster *nec minus bene* tantummodo novandi cupidus protulit, neque est, cur Agricolae conjecturam „nec male“ ab omnibus fere editoribus receptam explodamus, siquidem omnino conjectura indigemus, quod dubito. Quidni enim simplex *nec* interpretemur auch nicht, ut alteram negationem sua quisque sponte suppleat? Idem *nec* sonat cap. 27. *nam nec vos offendi decebit.*

Cap. 37. nam quo *quis* saepius steterit tanquam in acie et Michaelis et Andresenius scribunt, quod nolim approbare, quia *quis* ad homines universos spectat, quum solum de oratore agatur. Itaque verba *steterit* et *intulerit* et *exceperit* ad eloquentiam referens abstractum existimo pro concreto usurpatum esse, velut dixit Cicero Tuscul. V, 18. ut stultitia, etsi adepta est, quod concupivit, nunquam se tamen satis consecutam putat: sic sapientia semper eo contenta est, quod adest neque eam unquam sui poenitet.

Cap. 5. in verbis: „nam si ad utilitatem vitae omnia consilia factaque nostra dirigenda sunt, quid est utilius, quam eam exercere artem, *qua semper armatus* praesidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus, invidis vero et inimicis metum et terrorem ultro *ferat*, ipse securus et quadam velut perpetua potentia ac potestate munitus? Andresenius *qua quis semper armatus* sine causa proponit. Neque Lipsii emendationem *feras* expetendam esse jam Dronkius docuit, adhibens Cic. de orat. I, 8: „neque vero mihi quidquam, inquit, praesta-

Digitized by Google

bilius videtur quam posse dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere, voluntates impellere, quo *velit*, unde autem *velit* deducere.“ Ac ne hoc quidem exemplo aut similibus ad lectionem vulgatam defendendam opus est, nam hic subjectum in participio *armatus* inest, ita ut *semper armatus* valeat ein ſtets Bewaffneter. Si *ultro ferat* statim post *armatus* legeremus, vix quisquam, puto, nodum in scirpo quaesivisset, praesertim quum etiam Graeci eadem dicendi ratione passim usi sint, uti Aeschyl. Agam. 69 sqq. *οὔθ' ὑποκλείων οὔθ' ὑπολείβων, οὔτε δακρύων ἀπύρων ἱερῶν ὀργὰς ἀτενεῖς παραθέλξει.* Soph. Aj. 154. sq. *τῶν γὰρ μεγάλων ψυχῶν ἱεὶς οὐκ ἂν ἁμάρτοι.* Hesiod. Opp. 12. *τὴν μὲν ἐπαινήσειε νοήσας.*

De lacunis amplioribus Andresenius affert sententiam Heumanni, duas statuens cap. 36. ineunte atque cap. 40. ante verba: „non de otiosa.“ Idem etiam de personis colloquentibus sentit, quod Heumannus, qui sermonem a cap. 36. usque ad cap. 40. Messallae attribuit, ubi Materni oratio sequatur, nam quod Andresenius ait: „Ac reapse hic locus is est, qui de lacuna cogitare etiam invitos nos jubeat: id quod vel eo confirmatur, quod Heumannus, ***nihil ille quidem de mutata persona conjiciens,*** multa hoc ipso loco intercidisse suspicatus est“ id utique aliud agens perscripsit, quoniam Heumanni verba ad cap. 40. addita haec sunt: „Vehementer miror, neminem observasse, hic ingentem esse hiatum, quum tamen praecedentia verba sint Messallae causam eloquentiae agentis, posteriora Materni, qui contra oratores eorumque artem verba facit, id quod se facturum supra cap. XI. promiserat. Unde cap. XLII. noster inquit: „Finierat Maternus.“ Manifestum itaque est, permulta hic excidisse ac Messallae orationem fine, Materni exordio carere.“ Nec tamen credibile videtur, Messallam, utpote vetera tantum et antiqua mirantem,

Digitized by Google

his verbis cap. 30. factis: „neque oratoris vis et facultas sicut ceterarum rerum angustis et brevibus terminis claditur, sed is est orator, qui de omni quaestione pulchre et ornate et ad persuadendum apte dicere pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum voluptate audientium possit“ sic locutum esse cap. 36.: „cum mixtis omnibus et moderatore uno carentibus tantum quisque orator saperet, quantum erranti populo persuaderi poterat“ et cap. 37: „quae mala sicut non accidere melius est isque optimus civitatis status habendus est, in quo nihil tale patimur, ita quum acciderent, ingentem eloquentiae materiam subministrabant.“ Potius est accedendum ad U. Beckeri opinionem, verba a cap. 36. usque ad cap. 40. Secundi esse, quod probetur cap. 16, ubi Maternus se et Secundum eas partes exsecuturas esse promiserit, quas intellexerint Messallam non tam omisisse quam ipsis reliquisse, ita ut Messalla internas, Secundus externas corruptae eloquentiae causas exposuerit.

Cap. 36. ante verba: „hi et clientelis etiam exterarum nationum redundabant, hos“ cet. Andresenio quaedam excidisse videntur, quum non manifestum sit, qui tandem illi sint, qui pronominibus demonstrativis designentur. At qui paululum modo attente verba praegressa perlegit, illa pronomina ad oratores referenda esse, non potest non cognoscere. An alio spectent verba: „quia quanto quisque plus dicendo poterat, tanto facilius honores assequebatur?

Restat, ut videamus, quid de glossematis et interpolationibus, quas Andresenius sibi detexisse visus est, nobis judicandum sit.

Cap. 10. legimus: „nobis satis privatas et nostri

Digitized by Google

saeculi controversias tueri, in quibus expressis, si quando necesse sit pro periclitante amico potentiorum aures offendere, et probata sit fides et libertas excusata.“ Hoc loco Andresenius tutissimum censet Halmium sequi, qui vocabulum *expressis* ut aut depravatum aut ab interpolatore adjectum uncis inclusit. Schulzius contra et Heumannus idem tanquam ab inepto glossatore profectum deleverunt. Sane *expressis* nulla ratione apte explicari potest sed quum a librariis creberrime vocabula tum ad antecedentia, tum ad insequentia inscite adaptata esse notissimum sit, auctorem arbitror non *expressis* sed *expresse* exarasse.

Cap. 21. hoc exstat Apri de Caelianis orationibus judicium: „quid? ex Caelianis orationibus nempe eae placent, sive universae sive partes earum, in quibus nitorem et altitudinem horum temporum agnoscimus, sordes autem illae verborum et hians compositio et inconditi sensus redolent antiquitatem.“ Andresenio displicet vox *illae*, quod ubicunque pronomen *ille* cum substantivo junctum id significet, quod constet, nunquam hoc substantivum aut adjectivo aliquo aut enuntiato relativo aut utroque careat. Apud ipsum auctorem nostrum reperimus cap. 19: „transtulisse se ad *illud* dicendi genus.“

Cap. 10. Aper haec ait: „Ut si in Graecia natus esses, ubi ludicras quoque artes exercere honestum est, ac tibi Nicostrati robur ac vires dii dedissent, non paterer immanes illos et ad pugnam natos lacertos levitate jaculi et jactu disci vanescere, sic“ cet. Andresenius licere censet *pugnam* in *pugilatum* mutare, quae vox rem ipsam, de qua agatur, accuratius declaret. Attamen apud Quintilian. II. 8. de Nicostrato ipso legimus: „— efficiet illum, qualis hic fuit, luctando *pugnandoque*, quorum utroque certamine iisdem diebus coronabatur, invictum.“ — Praeterea criticus noster vocem

Digitized by Google

jactu exstinguit, quia absurda sit oppositio verborum *jactu disci* et *levitate jaculi*. Nos potius compositionem *levitate jaculi aut disci* absurdam ducimus, namque discum haud levem fuisse et aliunde cognitum habemus et ex Martial. 14, 164: „Splendida quum volitent Spartani pondera disci, este procul pueri: sit semel ille nocens.“ Propert. IV, 3, 10: „Missile nunc disci pondus in orbe rotat.“ Neque verba *levitate jaculi* et *jactu disci* sibi sunt opposita, sed duo rerum pariter inutilium exempla allata sunt, quod confirmatur Cic. de orat. I, 5: „Nam et saeculis multis antea gymnasia inventa sunt, quam in his philosophi garrire coeperunt et hoc ipso tempore, quum omnia gymnasia philosophi teneant, tamen eorum auditores discum audire quam philosophum malunt: qui simul increpuit, in media oratione de maximis rebus et gravissimis disputantem philosophum omnes unctionis causa relinquunt: ita levissimam delectationem gravissimae, ut ipsi ferunt, utilitati anteponunt.“

Cap. 6. Aper: „ad voluptatem, inquit, oratoria eloquentiae transeo, cujus jucunditas non uno aliquo momento, sed omnibus prope diebus ac prope omnibus horis contingit.“ Andresenius in adverbio *prope* bis posito offendit, quod logicam rationem negligat, qui aliquid et plerisque diebus et prope omnibus horis evenire dicat. Itaque prius *prope* delet. Haud scio autem, an nullam odoratus esset interpolationem, nisi Nastius ita vertisset: „Ich gehe jetzt auf das Vergnügen der gerichtlichen Beredtſamkeit über, das man nicht etwa blos einige Augenblicke, ſondern an jedem Tage und faſt zu jeder Stunde genießen kann.“ Auctor a diebus ad horas transiens rhetorica usus est gradatione. Contendere vero, voluptatem ex eloquentia omnibus diebus percipi, ei non potuit in mentem venire.

Cap. 23. in sententia: „qui rhetorum nostrorum commentarios fastidiunt, oderunt, Calvi mirantur“ ambigi posse videtur, utrum verbum *oderunt* tanquam glos-

Digitized by Google

sema exstinguendum, ut Heumannus putavit, cui Andresenius adstipulatus est, an ut ab auctore scriptum servandum sit. Sunt vero *fastidiunt* et *oderunt* minime synonyma, sed alterum altero multo plus valet, ut hic similem habeas gradationem atque apud Horatium Sat. I, 4, 33. Omnes hi metuunt versus, odere poetas.

Neque cap. 28.: „sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Caesaris, sic Atiam Augusti matrem praefuisse educationibus ac produxisse principes liberos accepimus" nomen *matrem* nobis expungere licet ut Sauppio praeeunte Andresenius praecipit. Hoc enim expuncto dictio evaderet perquam mira. An quisquam probet *Cornelia Gracchorum, Aurelia Caesaris, Atia Augusti praefuerunt educationibus?* Quid nos Corneliam, Aureliam, Atiam matres habere cogat? Nec omisit igitur matris nomen Cicero Brut. 27.: Fuit Gracchus diligentia Corneliae matris a puero doctus et graecis litteris eruditus. Vicissim vero vox *educationibus* additamentum *liberorum* non desiderat, quia hoc nomen in altera enuntiati parte (*ac produxisse principes liberos*) inest atque jam ob vocabulum *matrem* de educationibus aliorum ac liberorum cogitari nequit.

De loco cap. 10.: „neque meum hunc sermonem sic accipi volo, tanquam eos, quibus natura sua oratorium ingenium denegavit, deterream a carminibus" Andresenius voces inanes fundens: „In his, inquit, *sua* pronomen communi cogitandi ac dicendi rationi repugnat. Neque enim sua quemque natura aut indoles facultate aliqua aut ingenio ornat, sed alma illa, quam omnium animalium matrem appellare solemus, natura, quae singulis bona sua distribuit et suam cuique dat indolem atque ingenium." Verumtamen *natura* hic non id significat, quod Andresenius existimat, sed idem est, quod *ortus* Geburt, sicut reperimus apud Terent. Ad. V, 7, 3: „Hem pater mi, tu hic eras? Tuus hercle vero et animo

et natura pater,“ apud Livium XLII, 52: Ipse constitit in tribunali, circa se habens filios duos: quorum major Philippus, natura frater, adoptione filius, minor, quem Alexandrum vocabant, naturalis erat.“

Cap. 18. med. in codicibus haec exstant: „hoc interim probasse contentus sum, non esse unum eloquentiae vultum, sed in illis quoque, quos vocatis antiquos, plures species deprehendi, nec statim deterius esse, quod diversum est; vitio autem malignitatis humanae vetera semper in laude praesentia in fastidio esse. Num dubitamus inventos, qui *pro* Catone Appium Caecum *magis* mirarentur? „Quum verba *pro* et *magis* non simul ferri posse videantur, Andresenius vocem *magis* deleri vult. Leniorem autem medelam habeas, si cum Groslotio *prae* scribas vocabulum *magis* servans. Similiter scripsit Caes. B. G. II, 30: Gallis prae magnitudine corporum suorum brevitas nostra contemptui erat. Cic. Verr. II, 13: ut ipse consul in hac causa prae me minus etiam quam privatus esse videatur. Neque tamen silentio dissimulaverim, voce *prae* reposita *magis* proprie abundare, namque „prae Catone Appium Caecum mirari“ jam significat „Catone Appium Caecum magis mirari.“ Sed pleonasmos hujus generis etiam apud optimos auctores non ita raro invenimus. Cfr. Zumpt. gramm. lat. § 747.

Cap. 20. in enunciato: „praecurrit hoc tempore judex dicentem et nisi aut cursu argumentorum aut colore sententiarum aut nitore et cultu descriptionum invitatus et corruptus est, aversatur dicentem“ verbum *dicentem* apte repetitum puto; quod si deesset, non statim perspiceres, quo pertineret *aversatur.*

Cap. 26. med. de Cassio Severo hoc facit Messalla judicium: „equidem non negaverim Cassium Severum, quem solum Aper noster nominare ausus est, si iis comparetur, qui postea fuerunt, posse oratorem vocari, quamquam in magna parte librorum suorum plus *vis* habeat

Digitized by Google

quam sanguinis. Locum, ut videtur, corruptum permulti sanare studuerunt. Andresenius *bilis* restituendum censet, quod quidem non solum Wopkensius sed etiam Drueckius ante eum protulit. Hanc tamen conjecturam parum verisimilem judicantes nos potius *viri* ab auctore scriptum fuisse cum Luenemanno suspicamur. Certe id, quod per se jam longe probabilius est, in Cassium Severum egregie quadrat, qui secundum Quintilianum (X, 1, 117) mira erat acerbitate et plus stomacho quam consilio dabat. Evomebat igitur virius acerbitatis suae, quemadmodum locutus est Cicero Lael. 23.

In verbis deinde succedentibus: „ceterum, ut dixi, sequentibus comparatus et varietate eruditionis et lepore urbanitatis et ipsarum virium robore multum ceteros superat“ quae Nastius ita interpretatus est: übrigens übertrifft er, wie geſagt, in Vergleichung mit ſeinen Nachfolgern an mannigfaltiger Wiſſenſchaft, an echtem Weltton und ſèlbſt an innerer Stärke dieſelben ungemein“ haec Andresenio sanae rationi adversari videntur *sequentibus comparatus-ceteros superat* et quum *ceteros* non vexandum sit propter sequens enuntiatum relativum voces *sequentibus comparatus* ab interpolatore insertas existimat. Sin autem ipse concedit, scribendi rationi auctoris nostri scripturam vulgatam non repugnare, si cuncti codices eam exhibent, unde eandem interpolatam esse noverit?

Similem verborum compositionem ac cap. 36.: etsi horum quoque temporum oratores, tamen illa“ etiam cap. 38. init.: „Transeo ad formam et consuetudinem *veterum* judiciorum, quae etsi nunc aptior exstiterit, eloquentiam tameu illud forum magis exercebat“ habemus. Andresenius vero explicans: „forma et consuetudo veterum judiciorum cum nunc aptior veritati esse dicitur, hanc sententiam contra se ipsam pugnare nemo non negabit“ vocem *veterum* delendam esse arbitratur. At in dialogo non tam ratio grammatica quam verborum

Digitized by Google

sententia spectanda est. Quum non modo per totum hoc caput, verum etiam per subsequentia de oratoribus antiquis disseratur, quumque enuntiatio interposita nullius sit momenti, vox *veterum* integra judicanda est.

Cap. 19. in verbis: „Jam vero longa principiorum praeparatio — et quidquid aliud aridissimis Hermagorae et Apollodori libris praecipitur, in honore erat: quod si quis odoratus philosophiam videretur atque ex ea locum aliquem orationi suae insereret, in coelum laudibus ferebatur“ Andresenius sibi videtur graviorem interpolationem invenisse. „In his, ait, quamquam perversi aut inepti nihil inest, tamen minus eleganter atque adeo moleste dicta sunt haec: *atque ex ea locum aliquem orationi suae insereret,* quibus arido ac frigido dicendi genere repetitur, quod eis, quae antecedunt „si quis odoratus philosophiam videretur“ elegantissime dictum est.“ Multum autem interest, utrum ex tota oratione intelligas oratorem philosophiae operam dedisse, an orator ipse ex philosophorum scriptis locum aliquem proferat, quamobrem nihil tollendum est.

Cap. 38. init. recte dicta legimus: „in quo nemo intra paucissimas horas perorare cogebatur et liberae comperendinationes erant et *modum dicendi sibi quisque sumebat* et numerus neque dierum neque patronorum finiebatur.“ Andresenius tamen verba *et modum dicendi sibi quisque sumebat* interpolatori tribui vult, sed notare sufficit eum ipsum rem in medio reliquisse.

Cap. 39. med.: „ipsam quin immo curam et diligentis stili anxietatem contrariam experimur, quia saepe interrogat judex, quando incipias *et ex interrogatione ejus incipiendum* est; frequenter probationibus et testibus silentium patronus indicit“ Andresenio verba *ex interrogatione incipiendum est* propterea non arrident, quod sententiarum seriem turbent. Nonnihil vero interest, judexne interrogatione orationem interrumpat et postea

Digitized by Google

oratori liceat inchoatam suam orationem continuare, an ex judicis interrogatione initium dicendi sumendum sit, ita ut ipsa interrogatio dicendi det argumentum. Ex quo verba vexata non supervacanea esse liquet.

Cap. 41. Maternus haec loquitur: „Credite, optimi et in quantum opus est disertissimi viri, si aut vos prioribus saeculis aut illi, quos miramur, hi nati essent *ac deus aliquis vitas ac vestra tempora repente mutasset,* nec vobis summa illa laus et gloria in eloquentia neque illis modus et temperamentum defuisset." Andresenius verbis *ac deus aliquis vitas ac vestra tempora repente mutasset* idem significari ratus, quod antecedentibus „si-essent" illa interpolata esse opinatur. Nec tamen unum idemque duabus his sententiis exprimitur, siquidem priore aetas oratorum temporis praesentis et praeteriti permutata ponitur, posteriore autem oratorum praesentium vitae conditionesque subito conversae sumuntur.

Quod Andresenius de cap. 31. disputat, nos non satis dispicimus. Ait enim: *ideoque* (i. e. ut sapientis nomine quam maxime digni evaderent) *et juris civilis scientiam veteres oratores comprehendebant et grammatica, musica, geometria imbuebantur.* Honesta profecto et idonea causa, cur etiam eis artibus pectora implerent, quae ad munus oratorium ipsum non videbantur pertinere. Nihilo minus harum artium colendarum protinus alia causa affertur haec: *incidunt enim causae plurimae ac paene omnes, in quibus juris notitia desideratur, pleraeque autem, in quibus haec scientia requiritur.*" Qui explicari possit *ideo* „ut sapientis nomine quam maxime digni evaderent" non patet, praesertim quum paullo ante *neque enim sapientem informamus* legamus; *ideo* ergo eo spectat, quod orator quasdam artes haurire, omnes libare leviter debet. Sententia autem „incidunt-requitur" causa affertur, cur juris civilis scien-

Digitized by Google

tiam veteres oratores comprehenderint et grammatica, musica, geometria imbuti sint.

Cap. 24. extr. in codd. scriptum est: „igitur exprome nobis non laudationem antiquorum (satis enim illos fama sua laudat) sed causas, cur in tantum ab eloquentia eorum recesserimns, quum praesertim centum et viginti annos ab interitu Ciceronis in hunc diem effici ratio temporum collegerit.“ Nulla correctione proposita hunc locum Andresenius lacerare contentus operam perdidit, quum a plurimis viris doctis jam tentatus esset.

Omnibus igitur Andresenii emendationibus comprehensis, eum nonnullas non probandas attulisse invenimus.

A. W. Schade's Buchdruckerei (L. Schade) in Berlin, Stallschreiberstr. 47.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Lt 1.835
De Emendationibus Tacitei ut fertur
Widener Library 004611732
3 2044 085 235 851

Digitized by Google